

rita per pœnitentiam mortificata vivificare & reparare, & pœnitentia de se habet ad hoc sufficientem virtutem & efficaciam. Quantum est ex parte hominis non se disponentis per actus intensos charitatis & pœnitentiæ ad plenam & perfectam reviviscenciam omnium meritorum Con.

Obj. 2. S. Th. loc. cit. in conclusione addit: *habet tamen gaudium majus de operibus in primâ charitate factis, quam de operibus, quæ in secundâ fecit, quod spectat ad præmium accidentale.* Similia habet in 3. dist. 31. Q. 1. A. 4. ad 4. Ergo videtur S. Thomas meritis mortificatis tantum tribuere reviviscenciam in Ordine ad præmium accidentale non essentielle.

R. S. Th. tantum velle, quod quia tale jus ad præmium essentielle interdum minus est, ac illud, quod fuit ante peccatum ob defectum dispositionis & contritionis, per quam pœnitens resurgit, quæ sæpè valdè remissa est, ideo pro illo excessu & pro illis meritis non perfectè per pœnitentiam reviviscencibus pœnitens tantum habet jus ad præmium aliquod accidentale nempe gaudium majus de operibus in primâ charitate factis, nisi per subsequentes actus contritionis & charitatis se sufficienter disponat.

DISPUTATIO XXXIII.

De contritione.

Actus primarius virtutis pœnitentiæ juxtâ communem Catholicorum est contritio de quâ Trid. sess. 14. de pœnit. Cap. 4. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; vocatur hic actus contritio, eò quod per illum Cor peccatoris ante obduratum quodammodo discindatur & resolvatur ad recuperandam divinæ*

gratiæ impressionem, sicut materia dura & solida per contritionem materiale[m] resolvitur & minuitur in partes minutiores, huic metaphoræ dat fundamentum Scriptura Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicias* & Joel. 2. *Sciudite corda vestra.*

Q U Æ S T I O I.

In quo consistat essentia contritionis.

IN contritione ut patet ex Trid. cit. tres actus concurrunt vel formaliter vel virtualiter distincti, detestatio & odium peccati, dolor de peccatis, & propositum non peccandi de cætero. Quæritur 1. in quo ex his actibus contritio essentialiter consistat. 2. Quæ requirantur ut hic dolor sit perfectus.

DICO 1. *Contritio est dolor voluntarius pro peccato puniens in se, quod dolet commississe.* S. Th. in suppl. Q. 1. A. 10.

Explicatur & probatur Conclusio: primò. Essentia contritionis non consistit in aggregato ex pluribus actibus; quia actus primarius alicujus virtutis non est aggregatus ex pluribus actibus; sicut enim virtus est una simplex qualitas, ita etiam actus debent esse simplices; cum actus sint immediatum specificativum virtutis, sed contritio est actus primarius virtutis pœnitentiæ; sicut ergo, licet ad beatitudinem in beato plures actus concurrant: ut visio Dei, amor fructivus Dei, delectatio & gaudium de Deo possesso, quia tamen est aliquis Ordo prioris & posterioris inter istos actus, non concurrunt indivisibiliter ad essentiam beatitudinis, & consequenter essentia beatitudinis non consistit in aggregato ex istis actibus, eodem modo ad actum contritionis omnes illi actus concurrunt, quia tamen est aliquis Ordo prioris & posterioris inter dictos actus; nam detestatio & odium peccati præsupponitur ad dolorem de peccato commissio tanquam radix & principium dolo-

is, propositum non autem peccandi imposterum consequitur dolorem, ideo non potest contritio essentialiter consistere in aggregato ex istis actibus.

2dò. Nec consistit essentialiter in detestatione & odio peccati: quia detestatio & odium peccati potest habere locum in subjecto, in quo locum non habet actus primarius pœnitentiæ nempe contritio, nam odio habent & detestantur peccatum præ magnitudine amoris, quo Deum amant, B. V. Maria, omnes sancti in cœlis, imò ipse Christus Jesus, non tamen in illis reperitur contritio vel actus primarius pœnitentiæ.

3tiò. Non consistit formaliter in proposito non peccandi de cætero: quia propositum hoc præsupponit contritionem, & est actus necessario consequens contritionem, vel enim motivum præsentis doloris ita determinat voluntatem pœnitentis, ut vi istius motivi respuat vel sit paratus respuere omnia peccata, quorum occasio deinceps dabitur, vel non ita determinat. Si primum, jam habet formale vel virtuale propositum non peccandi, quod consistit in determinatione efficaci voluntatis, per quam actu diceret, si interrogaretur, se nolle amplius peccare; si vero talis determinatio voluntatis non adsit, nec adest vera contritio aut dolor efficax, sed potius virtualis & interpretativa complacentia peccati.

4tò. Quod contritio consistat in dolore de vitâ præteritâ probat Scriptura vocando contritionem & actus pœnitentiæ Psal. 6. gemitum Psal. 50. Spiritum contritulum Psal. 30. tribulationem cordis. Joelis 2. scissionem & compunctionem cordis. Isaia 38. amaritudinem animæ. 2. ad Cor. 7. tristitiam, quæ est secundum Deum, quæ omnia indicant contritionem non esse meram detestationem peccati secundum se sed animi dolorem de vitâ præteritâ.

Ratio id confirmat : in illo consistit actus primarius pœnitentiæ seu contritio, in quo maximè relucet honestas propria virtuti pœnitentiæ; sed illa maximè relucet in dolore de peccatis commissis; specifica enim honestas pœnitentiæ est honestas compensationis & satisfactionis pro injuria Deo illata per peccatum, illa autem præcipuè est in dolore, quo quis seipsum internè affligit, & coram Deo se humiliat, cognoscendo errorem & detestando illum, ut sicut peccator peccando ex inordinato amore commodi proprii Deo, quantum fuit in affectu, honorem abstulit, ideoque injuriam intulit, ita seipsum humiliando & internam quandam tristitiam in se suscipiendo voluntariè Deo satisfaciat.

Adverte autem: quod nomine doloris non intelligatur dolor sensibilis, qui est passio appetitus sensitivi vel sensûs, sed retractatio, detestatio, aversio & odium vitæ præteritæ, quæ ex odio & aversione à peccato secundum se oritur, quem dolorem insinuat Tridentinum loc. cit. dicens; *declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem à peccato & vitæ novæ proposituram & inchoationem sed veteris etiam odium continere.* Et paulò post, *certè qui illos sanctorum clamores consideraverit: tibi soli peccavi, & malum coram te feci; laboravi in gemitu meo lavabo per singulas noctes lectum meum, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ & alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam antea acta vitæ odio & ingenti peccatorum detestatione manasse.*

Obj. I. In illo consistit essentia rei, quod est primum in re, & radix cæterorum; sed primum in contritione est odium peccati, ex quo dolor & detestatio vitæ antea actæ oritur; ergo.

Rz. Essentia consistit in illo, quod est primum extrinsecè N. intrinsecè Con. primum, quod in contritione in-

intell
odiu
confi
Deum
inju
Ob
per le
per le
Rz.
ponit
ne de
C
pro
bil
co
ha
tr
be
tur
eni
tur
ade
que
fatis
con
DI
tam
S. Th.
perfecta
Pater
contriti
conting
hoc Sac

intelligitur extrinsecè per modum prærequisiti, est odium peccati, primum autem intrinsecè per modum constitutivi, in quo relucet honestas satisfactionis ad Deum, est dolor de antea actâ vitâ ad recompensandam injuriam Deo per peccatum illatam.

Obj. 2. Essentia contritionis in illo consistit, quod per se primò peccato opponitur, sed odium peccati per se primò opponitur peccato; ergo.

R. Essentia contritionis in illo consistit, quod opponitur per se peccato quomodocunque N. oppositione destructivâ ipsius per modum satisfactionis Con.

Obj. 3. Si quis detestaretur efficaciter peccatum propter Deum summè amatum super omnia, invincibiliter inmemor vitæ præteritæ & peccatorum ante commissorum, consequeretur remissionem culpæ, ergo haberet actum contritionis, cum sine contritione extra Sacramentum nullus possit justificari.

R. Quod in illo casu, non adesset quidem formalis benè tamen virtualis sive eminentialis contritio, quæ tunc esset sufficiens dispositio ad justificationem, odium enim peccati propter Deum summè amatum consequitur ad efficacem amorem, & ad hoc odium peccati, si adesset memoria peccatorum ante commissorum, sequeretur libera electio doloris tanquam destructivi & satisfactivi pro peccato, in quo consistit formaliter contritio.

DICO 2. *Dolor contritionis . . . habet infinitam virtutem ex charitate, quâ informatur.* S. Th. in suppl. Q. 5. a. 2. ad 3. Sive contritio perfecta includit actum dilectionis Dei super omnia.

Patet ex Trid. loc. cit. ubi ita ait: *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus recon-*

reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam.

Probaturs conclusio 1. Dolor de peccatis propter Deum summè dilectum est contritio perfecta, uti contritionem perfectam communiter describunt Theologi, atqui ille dolor includit actum amoris Dei super omnia; potest enim dolor de peccatis ex amore Dei super omnia dupliciter procedere. Primo, ut motivum dilectionis immediatè influat in dolorem de peccatis, & tunc contritio non est actus pœnitentiæ sed actus elicited charitatis Theologicæ, quæ ut 2. 2. est ostensum, est virtus Theologica distincta à virtute morali pœnitentiæ. Secundo ita ut mediatè influat, mediante motivo proximo compensationis Deo exhibendæ pro injuriâ illatâ, & tunc contritio est actus elicited virtutis pœnitentiæ, imperatus autem à virtute Theologicâ charitatis.

Probaturs 2. Contritio ut est actus pœnitentiæ est detestatio peccati commissi ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam; atqui illa imperatur ab actu charitatis: quia illa detestatio vitæ præteritæ procedit ab odio peccati, in quantum est offensâ Dei; movet enim ad reparandam offensam; odium vero peccati in quantum est offensâ Dei procedit ab amore Dei; Deus enim per peccatum offensus est, quia creatura ex amore inordinato proprii cominodi creaturam Deo præposuit, ac ita jus, quod Deus habet in creaturam rationalem, ut se & omnia Deo subjiciat, violavit, quæ injuria non reparatur, nisi creatura Deum iterum omnibus creatis præponat, ex quo affectu omnibus rebus Deum præponendi detestatur ac dolet de peccatis commissis per actum virtutis pœnitentiæ.

Hic discursus fundatur in S. Th. 3. p. Q. 86. a. 2. in O. ubi ait: *Dicendum quod impossibile est peccatum mortale actuale sine pœnitentiâ remitti loquendo de pœnitentiâ quæ est virtus, cum enim peccatum sit Dei*
offensa

offensa, eo modo Deus peccatum remittit quo, remittit
 offensam in se commissam, offensa autem directè oppo-
 nitur gratiæ; ex hoc enim dicitur aliquis alteri offen-
 sus, quod repellit eum à gratia suâ... hoc interest inter
 gratiam Dei & gratiam hominis, quod gratia homi-
 nis non causat sed præsupponit bonitatem veram vel ap-
 parentem in homine grato, sed gratia Dei causat boni-
 tatem in homine grato, eo quod bona voluntas Dei, quæ
 in nomine gratiæ intelligitur, est causa omnis boni
 creati, undè potest contingere, quod homo remittat
 offensam, quæ offensus est alicui, absque aliquâ im-
 mutatione voluntatis eius; non autem contingere potest,
 quod Deus remittat offensam alicui absque immuta-
 tione voluntatis eius, offensa autem peccati mortalis
 procedit ex hoc, quod voluntas hominis sit aversa à
 Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile,
 undè requiritur ad remissionem divinæ offensa, quod
 voluntas hominis sic immutetur & convertatur ad
 Deum cum detestatione conversionis prædictæ & propo-
 sito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ se-
 cundum quod est virtus, & sic impossibile est quod pec-
 catum alicui remittatur sine pœnitentiâ ut virtus est
 hucusque D. Th. ex quâ doctrinâ apertè sequitur,
 actum pœnitentiæ perfectam conversionem ad Deum
 præsupponere, ac esse detestationem & dolorem aver-
 sionis à Deo præteritæ, cum proposito nunquam à
 Deo in posterum deficienti, quæ omnia amorem Dei
 perfectum vel includunt vel præsupponunt.

Obj. I. Si odium peccati, in quantum est offensa
 Dei, sit actus à charitate elicitus, etiam odium & de-
 testatio peccati proprii erit actus charitatis, ad quam
 enim virtutem pertinet odium peccati in communi, ad
 illam etiam pertinet odium peccati in particulari; ergo
 contritio non erit actus elicitus à virtute pœnitentiæ
 sed à solâ virtute charitatis.

R. Ex S. Th. 3. p. Q. 85. a. 2. ad 1. *Quod à charitate derivatur aliquis actus dupliciter, uno modo sicut ab eà elicitus, & talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem præter charitatem, sicut diligere bonum gaudere de eo & tritari de opposito, alio modo, aliquis actus à charitate procedit, quasi à charitate imperatus; & sic quia ipsa imperat omnibus virtutibus (utpote ordinans eas ad finem suum) actus à charitate procedens potest etiam ad aliam specialem virtutem pertinere, si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis, sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate; non potuisset S. D. clarius exprimere subordinationem virtutis pœnitentiæ ad habitum charitatis, ex quâ subordinatione sequitur, quod non possit dari actus pœnitentiæ adminus perfectus sine actu charitatis imperantis.*

Obj. 2. Peccatum potest displicere peccatori ob alia motiva quam charitatis: ut ob timorem suppliciorum, sed tunc actus imperans detestationem vitæ præteritæ ad delendum peccatum non erit à charitate, nec proinde ipsa detestatio peccati erit actus imperatus charitatis & tamen erit actus pœnitentiæ.

R. 1. Erit actus pœnitentiæ imperfectus transeat perfectus N. pro nunc sufficit, quod non possit dari actus pœnitentiæ perfectus absque actu charitatis.

R. 2. Actum pœnitentiæ debere procedere ex odio peccati ut est offensa Dei, ideoque odium peccati ob supplicia, quæ infert non potest immediatè imperare actum pœnitentiæ ut docet S. Th. 3. p. Q. 85. a. 5 ad 1. *Dicendum, quod peccatum prius incipit homini displicere (maximè peccatori) propter supplicia, quæ respicit timor servilis, quam propter Dei offensam & peccati turpitudinem quod pertinet ad charitatem,*
quasi

quasi di
lirili,
ns detel
nam, e
Distingui
motiva p
similiter c
non erit a
remotè C
remotè b
detestati
Q. cu
possi
sic in
oper
tibus
pœn
in pe
prin
Th
Sec
mor
retr
sub p
di
displice
supplic
propter r
tarius off
timore se
hoc ordina
& proxim
conversion
aliquo ote
actus in
III, P.

quasi diceret, initium quidem conversionis esse à timore servili, ipsam verò conversionem vel actum contritionis detestantem peccatum, ut repararet offensam divinam, esse ex imperio charitatis. In forma igitur Distinguitur maj. peccatum potest displicere ob alia motiva proxima, quam charitatis N. remota Con. similiter distinguitur mi. Tunc ipsa detestatio peccati non erit actus imperatus charitatis sed alterius virtutis remotè Con. proximè N. à quibus autem virtutibus remotè & à quâ virtute proximè actus pœnitentiæ vel detestatio vitæ præteritæ imperetur, exponit D. Angel. Q. cit. a. cit. O. ubi ita discurret: *De pœnitentiâ loqui possumus dupliciter, uno modo quantum ad habitum & sic immediatè à Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositivè cooperantibus per aliquos actus, alio modo possumus loqui de pœnitentiâ, quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentiâ cooperamur, quorum actuum primum est principium Dei operatio convertentis car secundum illud Thren. ult. converte nos Domine ad te & convertemur. Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui displicet peccatum secundum seipsum & non iam propter supplicia. Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert, sic igitur patet, quod actus pœnitentiæ à timore servili procedit sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato; à timore autem filiali sicut ab immediato & proximo principio. Hucusque S. D. Ex quo processu conversionis liquet, plures actus diversarum virtutum aliquo ordine ad conversionem concurrere, & inter hos actus immediatum principium imperans perfectam*

conversionem esse timorem filialem, qui nunquam est sine charitate suppositâ.

Obj. 3. Actus charitatis fertur in Deum, actus autem pœnitentiæ fertur in peccatum destruendum & injuriam per peccatum illatam reparandam; ergo actus pœnitentiæ est independens ab actu charitatis.

ꝛ. Negando consequentiam; quia possunt duo actus esse simul, qui in objectum sub diversâ ratione ferantur, & unus tamen est dependens ab alio, sicut præsentis juxta S. Th. 3. p. Q. 85. a. 6. O. *Actus & habitus charitatis simul sunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ & cum habitibus aliarum virtutum; nam in justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, (qui est actus fidei per charitatem formatus) & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ, horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum, nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei, undè primus actus est ratio & causa secundi.*

Obj. 4. Potest quis pœnitentiam habere ac detestari unum peccatum sine alio admissum, hoc autem facere non potest ex motivo charitatis; ergo potest pœnitere absque motivo charitatis.

ꝛ. Negando ant. quia juxta S. Th. Q. 86. a. 3. O. *Actus virtutis pœnitentiæ non potest ita tendere in unum peccatum, quin etiam tendat in cætera peccata, ita enim ibi discurrit: Peccatum mortale non potest sine verâ pœnitentiâ remitti, ad quam pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum, quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus; ubi autem est eadem ratio, est & idem effectus, undè non potest esse verè pœnitens qui de uno peccato pœnitet & non de alio, si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) sequeretur, quod de om-*

nibus

nibus pœniteret, unde sequitur quod, impossibile sit unum peccatum per pœnitentiam remitti sine alio.

Ex dictis Colliges: Qualiter distinguatur perfecta contritio à dolore imperfecto, qui etiam vocatur attritio, procedunt enim ex diversis motivis: imprimis enim motivum formale contritionis, ut est actus pœnitentiæ, est bonum compensationis derivatum ex motivo divinæ bonitatis, motivum formale attritionis est bonum vitæ æternæ: ut si doleas de peccato propter timorem pœnæ, vel honestas alicujus specialis virtutis: ut si doleas ob turpitudinem vitii. Deindè ex consequenti contritio essentialiter pertinet ad charitatem & pœnitentiam, attritio verò taliter sumpta vel ad secundarium actum charitatis, qui est amor concupiscentiæ, vel ad spem vel ad aliquam virtutem moralem, cùjus honestati peccatum commissum opponitur, pertinere potest, denique contritio perfecta semper est universalis, & cadit super omnia: cum ipsius motivum æquè sit oppositum uni quam alteri peccato, attritio autem non est semper universalis: cum possit procedere ex motivo particularis honestatis. Unde etiam perfecta contritio semper excludit affectum peccandi, & hominem efficaciter convertit in Deum ut ultimum finem, attritio autem non semper excludit omnem affectum ad peccatum, neque voluntatem efficaciter in Deum convertit.

QUÆSTIO II.

An attritio sufficiat cum Sacramento?

Contritio definitur à Trid. sess. 14. de pœnit. cap. 4. *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; Ad hanc contritionem sequentes actus intercurrere solent, ut: Primus actus agnitionis suorum peccatorum, quo peccator apud se dicit: malè feci, graviter deliqui, Deum*

offendi &c. ex hoc actu oritur actus secundus, qui est cogitatio bona de Deo placando, quo peccator dicit: ideo volo me reconciliare Deo & amicitiam illius reparare; hunc actum sequitur tertius, qui est detestatio, quâ peccator detestatur vel execratur peccatum, dicendo: utinam nunquam Deum offendissem; hic actus quidem respectu commissi peccati actualis est inefficax & conditionatus: quia non potest voluntas absolutè efficaciter velle, peccatum nunquam esse commissum, quod jam est commissum: hoc enim est impossibile, sed tantum actu condinatio & inefficaci si possibile esset, vellem quod nunquam peccassem; est tamen actus ille detestationis efficax & absolutus respectu peccati habitualis: quia voluntas efficaciter & absolutè illo actu se à peccato avertit, & quantum fieri potest, peccatum habituale destruit, ac injuriam Deo per peccatum illatam reparat. Quartus actus interveniens est dolor & tristitia, sicut enim ex apprehensione boni præsentis, quod amatur, sequitur gaudium & lætitia, ita ex apprehensione mali præsentis, quod abominamur & detestamur, naturaliter sequitur animi dolor & tristitia. Quintus actus est propositum emendationis & voluntas non peccandi de cætero. Sextus actus est voluntas satisfaciendi pro peccatis vel vindicandi injuriam illatam; antequam dicamus de sufficientia attritionis cum Sacramento, prius examinandæ sunt conditiones generales ad dolorem Sacramentalem requisitæ, secundum omnes ferè Theologos, qui asserunt, quod dolor omnis sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ debeat esse dolor formalis, supernaturalis, universalis respectu omnium peccatorum mortalium. Efficax, cum implicito saltem proposito emendandi & satisfaciendi. Summus appetitativè. Aliquo modo conjunctus confessioni.

Hinc singulæ conditiones latius exponuntur:

f. De

l.
 tie de
 lantat
 ut offi
 cap. 3
 cramer
 satisfac
 intellec
 non su
 qui v
 U
 dol
 lice
 fic
 non
 pars
 N
 rate
 pecc
 pecc
 clude
 niten
 N
 dolor
 vel do
 de pecc
 pars et
 loris.
 Nec la
 desiderio
 etum huj
 Deniqu
 tus, si nor
 sed tantu
 securo ut

1. Dolor necessarius ad Sacramentum pœnitentiæ debet esse dolor formalis, quo nempe voluntas verè & explicitè doleat & detestetur peccatum, ut offensam Dei, id constat ex Trid. sess. 14. de pœnit. cap. 3. ubi dicit: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus contritio, confessio & satisfactio.* Verba autem Trid. propriè & simpliciter intellecta indicant veram & formalem contritionem, ut non sufficiat alius dolor virtualis implicitus in alio actu, qui non sit contritio.

Undè ad Sacramentum pœnitentiæ non sufficit dolor virtualis contentus in actu dilectionis Dei: quia licet actus dilectionis Dei, si sit perfectus, se solo sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, non tamen sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ, cuius pars essentialis est dolor formalis.

Nec sufficit dolor virtualis contentus in solâ voluntate imposterum non peccandi: quia propositum non peccandi de cætero stare potest cum complacentia de peccato præterito, quam tamen complacentiam excludere debet dolor requisitus ad Sacramentum pœnitentiæ.

Nec sufficit dolor virtualis contentus in desiderio doloris, si nempe pœnitens optet dolorem de peccatis, vel doleat se non dolere. dummodo revera talis dolor de peccatis absit, nam dolor de peccatis commissis est pars essentialis Sacramenti, non desiderium doloris.

Nec satis est habere dolorem implicitè inclusum in desiderio absolutionis vel voluntate percipiendi fructum huius Sacramenti.

Denique nequidem sufficit dolor formalis & explicitus, si non sit de ipso peccato commissio contra Deum, sed tantum de pœnâ vel alio effectu malo ex peccato secuto, ut infamiâ, morbo &c.

2. Dolor ad Sacramentum pœnitentiæ necessarius debet esse supernaturalis constat ex propositione 57. damnatâ ab Innocent XI. *Probabile est sufficere attritionem naturalem modo sit honesta.* Ut nequidem veniale peccatum sine dolore supernaturali remittatur quia ex Can 14. Con Arausicani, nullus miser de quacunque miseria liberatur nisi qui Dei misericordiâ prævenitur; ergò nec à veniali peccato, multò minus à mortali per infusionem gratiæ sanctificantis in Sacramento pœnitentiæ liberatur. Cujus Ratio est: quia omne medium debet esse proportionatum ad finem, & omnis dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma introducenda; sed dolor & contritio in pœnitente est medium ac dispositio necessaria ad recuperandam gratiam sanctificantem per peccatum amissam, quæ gratia est finis & forma maximè supernaturalis, ergo contritio sufficiens ad remissionem peccatorum sive cum, sive sine Sacramento debet esse supernaturalis, imprimis ex parte principii effectivi: quia debet elici cum speciali auxilio supernaturali, ut definit Trid. dum sess. 14. de pœnit. cap. 4. attritionem, quæ cum Sacramento pœnitentiæ peccatorem justificat, dicit esse donum Dei & impulsus Spiritus Sancti moventis & sess. 6. Can. 3. de justif. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione & adjutorio hominem credere diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justifi- cationis gratia conferatur, Anathema sit.* Deindè debet esse dolor supernaturalis ex parte motivi: quia debet esse elicitus ex motivo, quod per lumen supernaturale fidei sit cognitum: nam hoc ipso quod Trid. requirat principium supernaturale ad eliciendum actum doloris, etiam significat dolorem debere esse supernaturalem ex parte motivi seu objecti formalis, non enim requiritur supernaturale principium, si sufficeret actus naturalis ex naturali motivo elicitus.

3. Dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus debet esse universalis respectu omnium peccatorum mortalium. Sive ex motivo ad omnia peccata mortalia se extendente ; *Ratio est* ; quia dispositio debet esse proportionata formæ , ejusque effectui formali ; sed gratia sanctificans , ad quam dolor sacramentalis disponit , indivisibiliter inducit remissionem omnium peccatorum commissorum : unum enim peccatum mortale remitti non potest sine alio ; ergo etiam dolor sacramentalis ad hunc effectum disponens debet esse universaliter de omnibus peccatis mortalibus commissis.

Dixi mortalibus ; quia cum unum veniale possit remitti sine alio , juxtà superius dicta , ad remissionem aliquorum venialium in Sacramento obtinendam non est necessarius dolor , qui se ad omnia venialia commissa extendat , uti requiritur universalis dolor , qui se ad omnia mortalia vel formaliter vel virtualiter extendat. *Dixi ; vel virtualiter* , licet enim sit consulendum pœnitenti , ut cupiens de peccatis justificari singula peccata mortalia recogitet , ut ea sigillatim detestetur , tum ut tanto certior sit de vera sua contritione , tum ut pro pœna temporali eò plenius satisfaciat , quo magis dolendo peccata commissa in se puniat , tum denique ut animum ad vitæ emendationem eò magis confirmet : quia firmiter solet esse propositum particulare & expressum , quam generale & implicitum , sufficit tamen & ad minus requiritur , quod dolor ad omnia peccata mortalia non tantum , quæ memoriæ post diligens examen occurrunt , sed etiam unquam à pœnitente commissa ac nondum remissa virtualiter ac implicitè se extendat , hoc ipso , quod procedat dolor ex motivo supernaturali communi omnibus peccatis mortalibus commissis , ideoque ex particularitate doloris

se extendentis solum ad peccata, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, non autem ad peccata inculpabiliter omissa, non potest dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, ut infra Disput. XXXIV. Q. IV. ulterius dicetur.

4. Dolor iustificans ad Sacramentum Pœnitentiæ debet esse efficax, id est: non simplex nolletas de præterito, aut velleitas in futurum, sed absoluta nolitio præteriti & efficax volitio futuri, quâ nimirum dolor se extendit, & efficaciter actu pœnitentem moveat ad capessendum omnia requisita ad remissionem offensæ divinæ, adeoque secum ferat propositum non peccandi de cætero, confitendi & satisfaciendi cum spe veniæ. Hujus conditionis *Ratio est*: quia ad remissionem peccatorum requiritur, ut homo se perfectè avertat à peccato, & ad Deum convertat; atqui pœnitens nec avertit se perfectè à peccato, nec ad Deum se convertit, nisi & peccata præterita simpliciter & absolutè detestetur, & voluntatem peccandi de cætero excludat per absolutum propositum: velleitas enim non peccandi stat cum actuali affectu ad peccatum, debet etiam tale propositum esse formale & expressum: quia in Sacramento Pœnitentiæ tam pœnitens quam confessarius debet esse moraliter certus de sufficienti dispositione pœnitentis, atqui nisi pœnitens mortalium peccatorum reus actuale & formale propositum de cætero abstinendi à mortalibus concipiat, regulariter vix unquam aut ipse pœnitens aut confessarius erit satis securus de sufficienti dispositione, quia nisi pœnitens absolutum propositum concipiat ab omnibus peccatis mortalibus abstinendi: signum est, dolorem generalem non esse, nec ad omnia peccata se extendentem, ideoque insufficientem dispositionem ad gratiam Sacramenti recipiendam.

super
peccat
magis
lit po
quam
opus
rum
gis in
mov
me
Ra
ali
ste
bu
lio
Pe
del
tior
im
act
tea
latu
temp
lis de
rosa
intere
per no
tum, de
tum ma
De dolo
DICO
affectum
supplem

5. Dolor sacramentalis debet esse summus vel super omnia appetitativè, sic nimirum ut pœnitens peccatum mortale æstimet malum majus, illudque magis detestetur quam ullum aliud malum, ac malit potius subire, ac perpeti quodvis aliud malum, quam denuo peccare mortaliter, non est tamen opus, ut sit maximè sensibilis dolor: quia rerum fluxarum, quæ sensibus percipiuntur, jactura magis imaginationem ac proindè etiam voluntatem mover, quam amissio gratiæ cælestis.

6. Dolor sacramentalis debet necessario aliquo modo conjungi confessioni, atque ad eam referri. *Ratio est*: quia partes essentielles Sacramenti debent aliquo modo saltem moraliter inter se uniri & coexistere: compositum enim non subsistit nisi ex partibus aliquo modo unitis; atqui contritio & confessio sunt partes essentielles materiales Sacramenti Pœnitentiæ per absolutionem perficiendæ; ergo debent aliquo modo moraliter inter se cum absolutione conjungi, non tamen est necesse, ut dolor immediatè ante confessionem eliciatur, aut duret actu tempore confessionis, sed sufficit, quod antea elicitus aliquo modo ad confessionem fuerit relatus, ac nunquam revocatus virtualiter permaneat tempore absolutionis: quia confessio sacramentalis debet esse dolorosa, non potest autem esse dolorosa, nisi per dolorem ad confessionem relatum & interea non revocatum per actum contrarium aut per novam complacentiam & consensum in peccatum, de quo quis doluit, aut per quodcunque peccatum mortale post elicitum dolorem commissum. De dolore ità qualificato.

DICO I. *Ad dimissionem peccati requiritur, quod affectum peccati homo totaliter dimittat.* S. Th. in supplem. Q. I. A. I. O.

Explico: dolor imperfectus ad perfectionem contritionis non pertingens, qui ideo à S. Th. hic A. 2. ad 2. vocatur attritio, si habeat condiciones jam antè explicatas, sufficit ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam.

*Probat*ur ex Trid. Sess. 14. de Pœnit. cap. 4. ubi dividit contritionem in perfectam & imperfectam, siue attritionem, priorem definit eam esse, quæ ex charitate perfectâ nascitur, posteriorem verò declarat eam esse, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, de hoc postremo dolore docet S. Synodus duo: primò quod sit bonus motus, & circa hoc videantur dicta 2. 2. Disput. XII. Q. IV. secundo peccatorem ad Sacramenti gratiam disponere, verba Trid. sunt: *docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine voto pœnitentiæ, quod in illa includitur, non esse adscribendam, illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quia vel ex turpitudinis peccati consideratione vel gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse & Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad Justitiam parat, & quamvis sine pœnitentiæ Sacramento per se ad justificationem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit, hucusque Trid. sed cum his verbis PP. Trid. non definerint, solum dolorem ex consideratione solâ turpitudinis peccati vel ex solo gehennæ & pœnarum*

rum

tum metu ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere, non enim Trid. definivit quemcunque dolorem ex consideratione turpitudinis peccati vel gehennæ metu conceptum disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam, sed illum, qui voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ, gravissima est orta controversia inter Theologos: an dolor conceptus ex solo metu gehennæ aut ex consideratione turpitudinis peccati voluntatem peccandi excludat, & consequenter sit sufficiens dispositio ad Pœnitentiæ Sacramentum, quæ controversia ità invaluit, ut scholastici tam affirmantes, quam negantes, dolorem ex solo metu gehennæ conceptum ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere, sese invicem gravibus censuris cum scandalo fidelium prosciderint, quod Alexandrum VII. movit, ut hoc tulerit decretum: Sanctissimus dominus noster Alexander VII. cum accepit non sine gravi animi mœrore scholasticos quosdam acius non absque fidelium scandalo inter se contendere: an illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus alii & invicem adversam sententiam censurantibus, sanctitas sua enixè cupiens, pacis vinculum inter fideles servari, omnemque scissuræ fomitem extinguere, auditis votis Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium inquisitorum, hoc præsentis decreto in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ huic sanctæ sedi reservatæ aliisque pœnis sanctæ sedis arbitrio taxandis præcipit cunctis & singulis fidelibus quocunque gradu vel dignitate Episcopali vel majori, imò & Cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia præ-

fata

tatæ attritionis scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio modo prænitentes aut scholares cæterosvè erudient, non audeant alicujus censuræ Theologicæ alteriusvè injuriæ aut contumeliæ nota, alterutram sententiam siue negantem necessitatem dilectionis Dei aliqualis in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodiè inter scholasticos communior videtur, siue afferentes dictæ dilectionis necessitatem notare, donec ab hac sede fuerit hac in re definitum. Huculque Alexander VII. ut igitur in hac controversia salvâ charitate & obedientiâ decretis Apostolicis debitâ partem, quæ videtur probabilior, eligamus sine ulla sententiæ adversæ nota vel censura.

Suppono divisionem timoris datam in 2.2. Disput. XII. Q. IV. quâ dividitur timor in servilem, filialem & initialem, servilis est quo servus refugit offendere dominum, ne pœnas luat. Filialis est, quo filius refugit offendere patrem, quia patrem amat. Initialis vel mixtus est, quo filius refugit offendere patrem, tum quia amat patrem, tum ne castigetur à patre. Scut autem datur timor servilis, per quem homo refugit peccare merè ex timore pœnæ sine ullo affectu benevolentiaë ergà Deum, & sicut datur timor filialis, qui proprius est filiorum Dei, per quem refugit quis peccare ex amore benevolentiaë, quo Deum perfectâ charitate complectitur, ità etiam dari potest contritio filialis, quâ homo detestetur peccatum præteritum ex amore benevolentiaë, denique sicut datur timor medius inter utrumque dictus initialis, per quem homo peccare refugit partim ex timore, partim ex sincero & initiato amore benevolentiaë, ità etiam dari potest contritio initialis, per quam homo detestatur peccatum partim ex timore pœnæ, partim ex amore benevolentiaë
ergà

erga Deum propter se dilectum. Hoc supposito
 DICO 2. Oportet, quod in justificatione impii sit
 motus liberi arbitrii duplex, unus, quo per desiderium
 tendat in Dei justitiam, & alius, quo detestetur pecca-
 tum S. Th. I. 2, Q. 113, A. 5. O.

Explico : attritio in Sacramento sufficiens non
 ex sola consideratione turpitudinis peccati, neque
 ex solo metu gehennæ & pœnarum, sed ex aliquo
 amore Dei, qui sit castus Dei super omnia procede-
 re debet.

Prima pars probatur : In peccato quadruplex est
 turpitude, est enim turpe : quia diminuit famam,
 & ita opponitur pulchritudini famæ ; est turpe :
 quia dedecet mentem, & ita opponitur pulchritu-
 dini mentis ; est turpe : quia non convenit creaturæ
 rationali, denique est turpe : quia opponitur pulchri-
 tudini Justitiæ. Imprimis dolor de peccato, quia
 opponitur pulchritudini famæ, non est sufficiens
 dispositio ; quia illud motivum est purè temporale,
 ut nullus sine peccato ultimè quærere possit homi-
 num famam, ita ut in famâ sistat & illam ulterius
 non ordinet, neque est sufficiens dolor de peccato,
 quia est turpitude mentis ; isti enim pulchritudini
 ultimè inhærere etiam non licet, cum ob id
 damnati sint stoici, qui solum decus & suæ men-
 tis ornamentum in virtutum praxi quæsierunt,
 Neque sufficit dolor de peccato, quia opponitur na-
 turæ rationali: licet enim hic dolor sit laudabilis & hone-
 stus, non est tamen satis ad gratiam in Sacramento re-
 cipiendam, cum sic consideratus sit purè naturalis. de-
 nique de dolore, quia opponitur pulchritudini justitiæ,
 hic non est quæstio : cum sit idem cum amore justitiæ
 vel ut ait S. August. cum charitate : quia enim justitia
 ipsa est Deus ipse, ideo odisse peccatum eò, quod justiti-
 æ opponatur, idem est ac peccatum detestari, quia
 Deo

Deo adversatur vel est Dei offensa, qui autem odit peccatum quia est offensa Dei, vel prout Deo adversatur, Deum ipsum diligit, ut pulchrè docet S. Th. loc. cit. ad 1. dicens : *ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, & refugere aliud, & ideo sicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita & detestari peccata, per quæ anima a Deo separatur.*

Secunda Pars probatur hac ratione fundamentali : dolor ad gratiam per Sacramentum penitentiae recipiendam disponens debet excludere voluntatem peccandi, ut constat ex Trid. cit. *Si voluntatem peccandi excludat* : atqui dolor conceptus ex solo timore servili sine aliquo iustitiæ amore, non excludit voluntatem peccandi : quia non excluditur voluntas peccandi, nisi per actum, qui sit impossibilis cum actuali ad peccatum affectu, vel cum quo repugnat voluntas peccandi, alioquin quamvis contingat hominem habere dolorem, & non habere voluntatem peccandi, si tamen non sit talis dolor, ut ex se repugnet simul stare ipsum cum affectu ad peccatum, reverà non est dolor, qui excludit omnem voluntatem peccandi, sed aliundè contingit actu non esse affectum ad peccatum ; atqui dolor conceptus ex solo timore servili sine aliquo amore iustitiæ potest stare cum affectu ad peccatum : quia pœna gehennæ peccatum mortale consequens habet se veluti quædam circumstantia, quæ peccatum à parte rei existens consequitur ; ergo poterit peccatum secundum propriam rationem placere, & simul propter gehennam displicere : hæc enim duo simul stant, quod objectum secundum propriam rationem placeat, & simul propter circumstantiam aliquam displiceat, ut videre est in mercatore, cui conservatio mercium secundum se placet, & tamen ob periculum naufragii à parte rei conservationi mercium conjunctum illa conservatio mercium displicet ; ergo poterit etiam peccatum

rum secundum se placere & propter gehennam à parte rei peccatum consequentem displicere, ac proinde peccati displicentia petita ex solo metu vel motivo gehennae non est sufficiens ad excludendam omnem voluntatem peccandi: ad hoc enim requiritur, ut displicentia sit talis, quod cum illâ omnis affectus vel omnis voluntas peccandi repugnet.

Confirmatur: possunt distingui duæ voluntates peccandi una *antecedens* alia *consequens*; voluntatem peccandi antecedentem habet, cui peccatum secundum se placet præciso Ordine ad circumstantias, in quibus peccatum est ponendum; voluntas peccandi consequens est illa, quæ tendit in peccatum cum omnibus suis circumstantiis hic & nunc occurrentibus; differunt hæ duæ voluntates quantum ad præsens, quod voluntas peccandi antecedens non excludatur, nisi per displicentiam peccati secundum se, unumquodque enim peccatum tollitur per suum contrarium, complacentia autem peccati secundum se opponitur displicentiae peccati secundum se, nisi ergo voluntati, cui placet vel cui placuit peccatum secundum se, superveniat displicentia peccati secundum se, semper manebit voluntas affecta ad peccatum vel actualiter vel habitualiter: voluntas peccandi consequens tollitur per displicentiam cujusvis circumstantiæ hic & nunc cum peccato occurrentis: quia enim peccatum à parte rei non potest poni, nisi ponatur cum omnibus circumstantiis occurrentibus v.g. Cum notâ publicæ infamiae, eo ipso, quod voluntas unam circumstantiam v.g. notam publicæ infamiae averferur, non potest habere voluntatem peccandi consequentem; atqui timor servilis quamvis excludat voluntatem peccandi consequentem, non tamen antecedentem: quia timor servilis causat displicentiam peccati propter pœnâ, displicentia autem peccati propter pœnam non est displicentia peccati secundum se & sine ullo Ordine ad pœnam
alias

aliaque circumstantias: ergo displicentia peccati propter pœnam ad solam voluntatem consequentem pertinet, & ideo timor servilis, qui solum facit displicere peccatum propter pœnam, tantum causat voluntatem non peccandi consequentem, cum quâ voluntate stare potest aliquis affectus ad peccatum: quia potest aliquid secundum se placere inefficaciter, & simul propter aliquam circumstantiam superadditam displicere, ut repudietur. Constat exemplo mercatoris adducto, cui merces secundum se voluntate antecedente inefficaciter placent, voluntate vero consequente, ut annexum habent periculum naufragii, efficaciter displicent, sicut igitur voluntas consequens deserendi merces habet annexam voluntatem antecedentem illas salvandi, si abisset periculum naufragii, ita & voluntas consequens non peccandi ob annexum supplicium gehennæ poterit habere annexam voluntatem antecedentem peccandi. fundantur hæc in Doctore Angel. nam imprimis S. D. 1. 2. Q. 6. A. 7. ad 2. faciens differentiam inter metum & concupiscentiam ita discurret: *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur, secundum quod in se consideratur; sed in eo, qui aliquid agit per concupiscentiam, non manet prior voluntas quâ repudiabat illud, quod concupiscitur, sed mutatur ad volendam id, quod prius repudiabat, & ideo quod per metum agitur, est quodammodo involuntarium, sed quod per concupiscentiam agitur nullo modo, nam incontinens concupiscentie agit contra id, quod prius proponebat, non autem contra quod nunc vult, sed timidus agit contra id, quod etiam nunc secundum se vult.*

Deindè 1. 2. Q. 107. A. 1. ad 2. S. D. faciens differentiam inter legem veterem, quæ erat lex timoris & legem novam, quæ est lex gratiæ & charitatis ait: *propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manus*

non animum, quia qui timore pœnae ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ à peccato abstinet. Et propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere.

Obj. 1. Totum fundamentum sententiæ negantis, quod attritio ex metu gehennæ procedens sufficiat ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam, est, quod talis metus non excludat voluntatem antecedentem peccandi, & ideò cum tali detestatione sit compossibilis ad peccatum secundum se affectus, sed hoc totum fundamentum ruit, quia detestatio peccati propter pœnam etiam opponitur affectui inefficaci ad peccatum; non enim punitur tantum pœnâ æternâ peccatum commissum, sed etiam complacentia peccati secundum se; ergo per actum, cujus motivum est metus gehennæ, non tollitur tantum voluntas consequens peccandi, sed etiam antecedens, quæ nihil aliud est, quam quædam complacentia peccati secundum se; ideo enim metus gehennæ cohibet manum ab opere peccandi & excludit voluntatem consequentem peccandi, quia homo scit, se propter opus peccati pœnâ æternâ esse puniendum; ergo etiam si homo noverit se pœnâ æternâ puniendum propter solam complacentiam peccati sive propter voluntatem antecedentem, homo etiam abstinebit à prædicta complacentia & voluntate antecedente; sicut si mercator sciret, esse extremum periculum naufragii, si solam complacentiam mercium secundum se retineret, vel si voluntas antecedens merces salvandi permaneret, ex metu naufragii non tantum projiceret merces, sed etiam ex animo excluderet affectum vel voluntatem antecedentem ad merces, ergo cum immineat peccatori extremum periculum æterni naufragii propter solum affectum ad

peccatum secundum se, metus æterni naufragii etiam excludit affectum ad peccatum.

¶ Ad hoc palmarium adversæ sententiæ argumentum negando mi. Cujus probatio distinguitur: detestatio peccati propter pœnam etiam opponitur affectui inefficaci ad peccatum sive excludit voluntatem antecedentem peccandi immediatè N. mediatè Con. hoc admittitur ultrò, quod timor servilis possit esse principium tollendi omnem voluntatem non tantum consequentem sed etiam antecedentem & causare displicentiam peccati secundum se, sed hoc non facit immediatè se solo, sed mediante amore justitiæ: prius enim causat amorem justitiæ & Dei: qui enim agnoscit se esse puniendum, nisi voluntatem antecedentem peccandi excludat, non potest hanc voluntatem peccandi excludere, nisi metus introduxerit amorem justitiæ. Duplex enim est malitia in peccato, malitia propria & malitia pœnæ, malitia propria peccati est, in quantum peccatum opponitur justitiæ & Deo, malitia pœnæ est in quantum peccatum opponitur bene esse subjecti; est autem impossibile, quod tollatur voluntas peccati secundum se, si non displiceat peccatum secundum propriam malitiam quando igitur metus non introducit amorem istum boni, cui propria malitia peccati opponitur, non est displicentia peccati propter propriam malitiam, sed quando displicet peccatum propter malitiam pœnæ tantum, non displicet peccatum propter propriam malitiam; sicut igitur implicat peccatum displicere propter propriam malitiam, & simul displicere propter alienam malitiam tantum, ita implicat, quod voluntas antecedens peccandi tollatur ex solo motivo gehennæ, est simile in mercatore, si exemplum illud bene applicetur: quia mercator, qui sciret, quod periculum naufragii non esset evasurus, nisi cum ejectione mercium è navi simul ex corde excluderet

deret omnem affectum ad merces, mediatè moveretur à metu naufragii, ut merces secundum se respueret, irà peccator ex metu gehennæ moveretur, ut non tantum peccatum detestetur, quia peccatorem obnoxium facit pœnæ æternæ, sed etiam ut peccatum detestetur propter se aut propriam malitiam, quia per illud offenditur Deus.

Obj. 2. Trid. dum sess. 14 de pœnit. Cap 4. dicit de illa imperfecta contritione sive attritione, quæ ex metu gehennæ concipitur; *si voluntatem peccandi excludat &c.* Apertè supponit, dari posse attritionem ex metu gehennæ, quæ voluntatem peccandi excludat; ergo dari potest dolor ex metu gehennæ, qui sit sufficiens dispositio ad Sacramentum pœnitentiæ.

R. Tridentinum addendo illas particulas: *si voluntatem peccandi excludat*, distinguit duas attritiones, unam, quæ ex solo metu gehennæ concipitur, aliam, quæ simul ex amore Dei & metu gehennæ imperatur, quæ est contritio imperfecta, hæc secunda excludit voluntatem antecedentem peccandi, & oritur ex timore initiali, prima vero procedit ex timore servili.

Obj. 3. Trid. docet illam attritionem excludere voluntatem peccandi, de qua subjungit, quod non faciat hominem hypocritam, sicut docuerat Lutherus; atqui attritio, quam Lutherus docuerat facere hominem hypocritam, est ea quæ ex solo metu pœnarum procedit, ergo attritio, quæ ex solo metu pœnarum procedit, voluntatem peccandi excludit, & consequenter sufficit ad Sacramentum.

R. Tridentinum duos errores Lutheri proscribit; unus error Lutheri fuit, quod metus gehennæ esset malus, & quod operari ex metu gehennæ faceret hominem hypocritam; alter error Lutheri fuit, quod metus gehennæ non concurreret ad veram pœnitenti-

tiam, hunc secundum errorem damnando addidit: *si voluntatem peccandi excludat*, quæ conditio non est necessaria, ut metus vel dolor ex eo conceptus non faciat hominem hypocritam & magis peccatorem, nec ista conditio requiritur, ut metus gehennæ sit donum Dei & Spiritus sancti moventis: nam etsi metus gehennæ relinquat in peccatore voluntatem antecedentem peccandi, adhuc non facit hominem hypocritam & magis peccatorem, nec desinit esse donum Dei & impulsus Spiritus sancti, sicut actus fidei aut spei in peccatore est donum Dei & impulsus Spiritus sancti, quamvis non excludat voluntatem peccandi, verum prædicta conditio: *si voluntatem peccandi excludat*; est necessaria, ut dolor ex metu conceptus sit dispositio ad Sacramentum pœnitentiæ.

Obj. 4. Dolor sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ est dolor honestus laudabilis & supernaturalis, atque dolor conceptus ex solo metu gehennæ absque ullo amore est honestus laudabilis & supernaturalis, quia est damnata ab Alexandro VIII. hæc propositio 15, *attritio, qua ex metu gehennæ & pœnarum concipitur sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*

R. Ex eo præcisè, quod supponatur dolorem conceptum ex solo metu gehennæ esse pium laudabilem & supernaturalem, malè concluditur, quod satis sit, ut quis accipiat gratiam in Sacramento, sicut malè concluderetur ex hoc, quod oratio peccatoris non est mala sed honesta & supernaturalis, ut impia sit propositio 59. Quenelli damnata: *Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium.* utiliter enim orat peccator: *dimitte nobis debita*, quamvis per illam orationem non liberetur à statu peccati, ita quoque actus fidei est laudabilis & supernaturalis, & tamen nullus Catholicus asserit, illum esse sufficientem

faciente
peniten
catoris, v
tem ad
gratia
utilis est
via, e
tas, ut
tum ge
no, v
acus
eiden
pun
ergo
infig
ceda
ficat
tu ge
requ
7
cien
pœn
rium
circa
no 17
ad Bap
tentiæ r
esse mon
Primò
quiri præ
perfecta,
platur hor
2do, I
rum esse,
gere Deu

ficientem dispositionem, ut quis gratiam in Sacramento penitentiae recipiat; sed sicut actus fidei est utilis peccatori, ut ex illo quis concipiat actum doloris sufficientem ad recipiendam gratiam, & sicut petitio talis gratiae non est inutilis, ita etiam peccatori perutilis est dolor conceptus ex metu gehennae, est etiam via, quae Cor peccatoris ordinariè intrat Charitas, ut pulchro simili declaratur ex S. August. qui metum gehennae comparat cum acu, quae infigitur panno, indeque concludit, quod sicut vulnus, quod acus panno infigit, via est, quae ducitur filum, quod eidem panno inseritur, ita dolor quo anima ex metu pungitur, via est, quae in eam intrat Charitas; sicut ergo ad tapetem elaborandum non sufficit acum panno infigere, sed requiritur praeterea, ut acui filum succedat, ita etiam ut quis in Sacramento penitentiae justificationem consequatur, non sufficit dolor ex solo metu gehennae conceptus animam pungens, sed insuper requiritur, ut illi dolori Charitas inchoata succedat.

Tertia Pars: quod dolor de peccatis non sit sufficientis dispositio ad recipiendam gratiam in Sacramento penitentiae, nisi intercedat aliquis amor Dei, est plurimum Theologorum tam ante quam post Tridentinum, circa quam clerus Gallicanus in publico Conventu Anno 1700. pro tota Galliâ agens de dilectione Dei tum ad Baptismum adultorum tum ad Sacramentum penitentiae requisitâ ex sacrâ Tridentinâ Synodo hæc duxit esse monenda.

Primò. Ne quis putet in utroque Sacramento requiri præviam contritionem illam, quae sit Charitate perfecta, & cum voto Sacramenti, antequam actu recipiatur hominem Deo reconciliat.

2dò. Ne quis putet in utroque Sacramento se securum esse, si præter fidei & spei actus non incipiat diligere Deum omnis justitiae fontem, nec verò satis ad-

impleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ & servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi & maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit animo saltem ita præparato, ut ad illud exequendum divinâ opitulante gratia sese excitet & provocet, addit etiam cavendum esse à Sacramenti pœnitentiæ ministris, ne in hoc pœnitentiæ Sacramento aliisque Sacramentis conferendis sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiore, neve pœnitentes ipsorum fidei animam committentes admonere cessent, ut in pœnitendo saltem inchoatæ Dei dilectionis viam ineant, quæ sola sit segura, graviter peccaturi in hoc salutis discrimine vel in eo solo, quod incerta certis præponant.

Fundamentum primum hujus sententiæ sumitur ex Trid. licet enim teste Cardinale Pallavicino S. J. in historiâ Trid. L. 12. Cap. 2. plures Theologi in Concilio præsentibus statuerint pro dilectionis inchoatæ necessitate, ut in Sacramentis sit fructuosus dolor de peccatis, econtrâ tamen aliqui contenderunt dolorem ex solo gehennæ metu conceptum satis esse ad Sacramentum pœnitentiæ, unus autem præsentium sustinebat, ad Sacramentum opus esse contritione perfectâ, hinc Patres Concilii voluerint tantum errorem hæreticum damnare. non ferre sententiâ de Scholasticâ quæstione, an talis timor non tantum sine contritione & charitate perfectâ, de quo vix in Concilio controversia fuit, sed etiam absque eo, quod excitetur ullus amor imperfectus sufficiat ad remissionem peccatorum in Sacramento, in pluribus tamen locis videtur Concilium favisse sententiæ asserenti necessitatem dilectionis inchoatæ. Nam

1. Trid. sess. 6. de justit. cap. 6. accuratè describens omnes actus quibus peccatores adulti ad gratiam sanctifican-

ficantem recipiendam in Baptismo præparantur, dicit eos primò fide imbui. Secundò concuti timore. Tertio spe erigi. Quarto diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem. Quintò propterea adversus peccatum moveri per aliquod odium & detestationem id est per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet. Sextò proponere Baptismi susceptionem & novam vitam per observantiam mandatorum. Eâdem sess. Can. 3. ita decernit: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur. Anathema sit.* Si ergo ut constat ex locis Trid. citatis inchoatus Dei amor in adultis sit necessarius, ut justificationem in Sacramento Baptismi consequantur, eodem amore opus erit, ut in Sacramento pœnitentiæ justificentur: cum non minor requiratur dispositio in lapsis post Baptismum, ut justitiam in pœnitentiâ recipiant, quam in Catechumenis ut in Baptismo justificationem consequantur.

2. Trid. sess. 14. de pœnit. cap. 4. docet contritionem, quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ esse detestationem vitæ præteritæ, cum proposito non peccandi de cætero; sed hæc esse non possunt sine inchoato Dei amore, nemo enim potest detestari vitam præteritam, nisi detestetur veterem amorem, quo creaturam Deo præposuit, non potest autem odisse amorem veterem, quin novo amore succensus dicere possit cum Psalmistâ: *Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi*, ita propositum non peccandi de cætero complectitur propositum non amplius transgrediendi primum & maximum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, propositum verò non transgrediendi primum illud mandatum dicit constantem voluntatem Deum diligendi super

omnia, talis autem voluntas haberi non potest, quin actu Deus super omnia diligatur; velle enim constanter & efficaciter Deum diligere est revera actu Deum diligere.

3. Trid. sess. cit. cap. 1. actum pœnitentiæ necessarium ad gratiam in Sacramento recipiendam ulterius ita describit: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se peccato mortali inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Sacramento Baptismatis ablui petissent, ut perveritate abjectâ & emendatâ tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur.* Quibus Patres Concilii requirunt, ut volentes ablui per Baptismum (de Sacramento pœnitentiæ idem est, cum utrumque sit Sacramentum mortuorum conferens primam gratiam) detestentur peccatum non tantum propter pœnam, sed etiam, quia est offensa Dei, seu quia est læsio Dei facta à peccatore quantum in ipso fuit, ideoque dolorem debere actu procedere ex aliquo amore justitiæ: nam qui amico vult reconciliari, quem injuriâ aliquâ affecit, doleat oportet, quod in eum injuriosus & contumeliosus fuerit, talis autem dolor non est, qui gignitur ex solo metu pœnarum: nil enim iste curat de offensione amici, sed tantum sollicitus est de incolumitate dolentis; opus ergo est, ut peccator moveatur pio animi dolore & pio dilectionis affectu erga Deum offensum.

Fundamentum secundum sumitur ex hâc ratione: ad fructuosam susceptionem Sacramenti requiritur talis dolor, vi cuius homo iterum convertatur ad Deum: quia cum per peccatum mortale se totaliter converterit ad creaturam, turpiter præponendo creaturam creatori, ac ponendo in creatura ultimum finem, non potest tolli illa aversio à Deo, nisi per talem actum conversionis ad Deum, quo creatorem iterum præponat creaturæ, & in

in crea
qui ad
sine tal
Deum
imprim
homo a
cui val
liberum
peccat
mul
hoc
doe
actu
con
ven
veni
Qu
rum
supp
prop
rian
actu
mota
(fals
substa
diato
condum
maxim
servilis
dinem,
qta P
etamentat
Probat
cellarius
cipiendam

in creatore denuo suum ultimum finem constituat ; at-
 qui ad talem dolorem requiritur aliqua Dei dilectio :
 sine tali enim dilectione non potest fieri conversio ad
 Deum , sumitur hoc fundamentum ex S. Th. qui
 imprimis 1. 2. Q. 113. a. 7. ad 2. dicit : *Propter hoc
 homo detestatur peccatum , quia est contra Deum ,
 cui vult adherere (per dilectionem videlicet) & ideo
 liberum arbitrium in justificatione impii simul detestatur
 peccatum & se convertit ad Deum , sicut etiam corpus si-
 mul recedendo ab uno loco accedit ad aliū ;* Deindè quod
 hoc fieri non possit absque charitate , patet ex iis , quæ
 docet S. D. 3. p. Q. 85. a. 5. in O. ubi enumerans
 actus , qui ad conversionem peccatoris per pœnitentiam
 concurrunt , post Dei operationem cor peccatoris mo-
 ventis , motum fidei , motum spei , quo quis sub spe
 veniæ assumit propositum emendandi , subjungit :
*Quintus actus est motus charitatis , quo alicui pecca-
 tum displicet secundum se ipsum , & non jam propter
 supplicia . Sextus actus est motus timoris filialis , quo
 propter Dei reverentiam aliquis emendam Deo volunta-
 riam offert . Denique concludit : sic igitur patet , quod
 actus pœnitentiæ à timore servili procedit sicut à primo
 motu affectûs ad hoc ordinato , à timore autem filiali .
 (saltem initiali qui secundum D. Angelicum quoad
 substantiam non distinguitur à filiali) sicut ab imme-
 diato & proximo principio , addit in q. Ad 1. ergo di-
 cendum , quod peccatum primò incipit homini displicere
 maximè peccatori propter supplicia , quæ respicit timor
 servilis quàm propter Dei offensam vel peccati turpitu-
 dinem , quod pertinet ad charitatem .*

4ta Pars : Quod amor requisitus ad dolorem Sa-
 cramentalem debeat esse castus Dei super omnia.

Probatur 1. Hâc ratione fundamentali : dolor ne-
 cessarius ad gratiam per Sacramentum pœnitentiæ re-
 cipiendam est dolor excludens voluntatem peccandi

juxta Trid. atq; si dolor excludens voluntatem peccandi debet procedere ex casto amore Dei super omnia: quia debet procedere ex amore, quo plus ametur Deus, quam ulla creatura, & Deus cuique creaturæ præponatur, quamdiu enim voluntas non plus amat creatorem quam creaturam, tamdiu reputatur affecta ad peccatum sive cum voluntate peccandi: quia quamdiu peccatum non retractatur per actum oppositum peccato, tamdiu voluntas manet affecta ad peccatum; sed si voluntas plus non amet creatorem quam creaturam, non retractat suum peccatum: non enim retractat peccatum, nisi per actum contrarium; offensa autem peccati in hoc consistit, quod commutabile bonum præponatur incommutabili; huic autem perversæ dilectioni, quâ creatura præponitur creatori, sola dilectio, quâ creator præponitur creaturæ, est contraria; ergo si voluntas non plus amat creatorem quam creaturas, quod fit per actum dilectionis Dei super omnia, semper remanebit affecta ad peccatum sive cum voluntate peccandi.

2. Non excluditur voluntas peccandi, nisi per talem actum, cum quo sit impossibilis omnis actualis affectus ad peccatum: ut supra dictum; atqui hoc habet solus dolor procedens ex amore Dei super omnia: quia ad dolorem excludentem affectum ad peccatum requiritur, ut eliciens sit paratus dimittere quodcumque bonum mortaliter peccaminosum ad vitandum peccatum, hoc non potest fieri nisi ametur iustitia, ita ut propter ejus amorem quis sit paratus dimittere quodcumque bonum si id exigat iustitia, qui autem ita amat iustitiam, amat eam super omnia.

Verum difficultatem in hâc sententiâ facit, quomodo per Sacramentum pœnitentiæ peccata remittantur, si dispositio ad illud requisita sit attritio ex casto amore Dei super omnia procedens, si enim (inquiunt oppositæ sen-

ten
quira
erit Sa
actu S
siqui
dem
comp
Pro
amor
Deu
Etus
tur
tur
fic
cer
XII
per
per
am
qui
pre
per
just
qui
ve,
fecta,
Deo n
nitenti
etiam e
cramen
licet imp
Etâ omni
cans, d
Deus imp

tentiæ Patroni) inchoata Dei charitas super omnia requiratur ad Sacramentum pœnitentiæ, pœnitentia non erit Sacramentum mortuorum, nunquam enim dum actu Sacramentum recipitur, causabit primam gratiam: siquidem charitas Dei super omnia licet remissa in eodem subjecto cum statu peccati mortalis non potest componi.

Pro hujus difficultatis evasione aliqui distinguunt amorem Dei castum in affectivum, qui præponit Deum omnibus creaturis in affectu, eique omnes affectus actuales subjicit, & in effectivum, qui non tantum in affectu sed etiam in effectu Deum omnibus creaturis præfert, priorem volunt requiri ad dolorem justificantem cum Sacramento, posteriorem volunt sufficere sine Sacramento. Videantur dicta 2. 2. Disp. XIII. Q. II.

Alii verò distinguunt in amorem tantum extensive perfectum & in eum qui tam intensive quam extensive perfectus est; sive statuunt duplicem Dei super omnia amorem, alium, qui sit in gradu remisso, alium verò qui sit in gradu intenso, juxta quos contritio, quæ procedit ex charitate in gradu intenso, dicitur contritio perfecta adeoque extra Sacramentum actu susceptum justificat, contritio autem quæ procedit ex amore Dei, qui quidem sit super omnia, ideoque perfectus extensive, sed in gradu remisso, vocatur contritio imperfecta, de quâ sustinent, quod licet ordinariè impium Deo non reconciliet, priusquam Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur, in casu tamen necessitatis etiam extra Sacramentum justificet, si cum voto Sacramenti sit conjuncta; rationem, quare non quælibet licet imperfecta charitas cum voto Sacramenti conjuncta omnem affectum ad peccatum excludens sit justificans, dant merum Dei beneplacitum, cum enim Deus impio etiam non habenti affectum ad peccatum

non

non debeat gratiam justificantem, potest illam in novâ lege reddere dependentem ab actuali receptione Sacramenti.

Alii denique cum quibus concordant ea, quæ dicta sunt 2. 2. Disput. XIII. Q II. distinguunt duplicem Dei amorem super omnia, quorum prior dicitur amor concupiscentiæ, posterior dicitur amor amicitiae; amor concupiscentiæ Dei super omnia, qui est in illo cui placet ita divina bonitas, ut magis velit frui Deo, quam quocunque alio bono, in & cum Sacramento justificat; amor verò amicitiae Dei super omnia, qui est in eo, cui ita placet divina bonitas, ut magis velit Dei gloriam, quam cujuscunque alterius, justificat extra Sacramentum actu receptum, quia semper requirit Sacramentum in voto, licet autem uterque actus & amor concupiscentiæ & amicitiae Dei super omnia sint virtutis charitatis, actus tamen amoris amicitiae Dei super omnia est longè perfectior, quam amor concupiscentiæ Dei super omnia, ita ut primus charitas perfecta, secundus charitas imperfecta vocari possit; juxta hunc modum optimè videntur solvi ea, quæ contra attritionem initialem opponi possent; cum enim ostensum sit, quod ad dolorem sufficientem pro Sacramento pœnitentiæ requiratur aliquis Dei amor ut prætereà S Aug. ser. 3. de nativ. D. apertè asserit: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei*, nec sufficiat amor Dei, quo Deus non ametur plusquam omnis creatura, cum talis amor non sit ille, qui summo bono debitus est, neque requiratur in Sacramento perfectus ille amor, quo purè propter suam bonitatem ut sibi tantum bonam ametur, cum dolor ex illo amore procedens extra Sacramentum justificet, sequitur, quod alius quidam imperfectus amor Dei, qui tamen reverà sit amor Dei super omnia, ad dolorem in Sacramento justificantem

requiratur & sufficiat, qui alius non est nisi amor concupiscentiæ, quo juxta venerabilem Bedam & S. Bonav. desideret homo Deum habere & videre.

Obj. 1. Dolor sufficiens ad Sacramentum poenitentiae juxta Trid. est impulsus Spiritûs Sancti moventis quidem nondum tamen inhabitantis; sed amor Dei super omnia est impulsus Spiritûs Sancti inhabitantis, qui enim amat, non manet in morte; ergo ad Sacramentum poenitentiae sufficit dolor sine amore Dei super omnia.

R. Amor Dei amicitiae, qui est perfectus, est impulsus Spiritûs Sancti inhabitantis. Con. amor Dei super omnia concupiscentiae, qui est imperfectus N. ad gratiam in Sacramento poenitentiae suscipiendam sufficit amor Dei super omnia concupiscentiae & imperfectus, quando nempe ita placet divina bonitas, ut potius eâ frui velit, quam aliâ quâcunque, ad quod non requiritur gratia habitualis, sed sufficit auxilium gratiae moventis.

Obj. 2. Nullus potest habere Deum ut ultimum finem, quin sit in gratia: alias enim haberet duos ultimos fines, quod communiter negant Theologi; sed qui habet amorem Dei super omnia etiam imperfectum, tendit in Deum ut ultimum finem; ergo nullus potest amare Deum super omnia etiam imperfectè quin sit in gratia.

R. Voluntatem simul posse habere duos ultimos fines, si unus habitualiter alter actualiter inefficaciter intendatur, & ideo non repugnat, quin taliter nempe amore solo concupiscentiae amans pro ultimo fine habituali habeat adhuc creaturam; ut enim omnes admittere debent, peccator sine gratia habituali, quæ sola facit Deum ultimum finem habitualement, potest habere propositum efficax inchoandi novam vitam, servandi omnia mandata præsertim primum & maximum mandatum, sive, quod idem est,

est, non peccandi mortaliter, nec tamen per hoc propositum efficaciter convertitur in Deum,

Obj. 3. S. Th. passim videtur docere, quod omnis charitas justificet & sit impossibilis cum peccato, sicut etiam in suppl. Q. 5. A. 3. O. cuiusque dolori ex charitate procedenti vim delendi omnem culpam tribuit, ergo juxta S. Th. omnis charitas justificat, & consequenter omnis dolor procedens ex quacunque charitate diligente Deum super omnia sive perfectâ sive imperfectâ extrâ Sacramentum justificat.

R. Vel S. Th. intelligendum esse de charitate habituali vel de actuali informatâ à gratia sanctificante, non autem omnis charitas procedit à gratia sanctificante, cum aliqua sit charitas actualis, quæ ad gratiam recipiendam præparet juxta eundem S. D. 1. P. Q. 62. A. 2. ad 3. *tertia conversio est, per quam aliquis se præparat ad gratiam habendam, & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia.* De dilectione autem informatâ gratiâ sanctificante loquitur 3. P. Q. 62. A. 6. Ad 3. ubi ait; *minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentia, & mereri vitam aeternam,* si nempe homo præventus auxilio efficaci ista gratia utatur, citato in object. loco loquitur S. D. de contritione informatâ charitate perfectâ, ibidem enim dixit dolorem de peccatis posse esse tam parvum, ut non sufficiat ad rationem contritionis,

Q U Æ S T I O III.

An contritio sine Sacramento etiam sufficiat?

DICO Contingit quandoque, quod per contritionem precedentem peccatum aliquod deletum est quoad culpam S. Th. in suppl. Q. 10. A. 5. O.

Conclusionem hanc tradit Trid. Sess. 14. de pœnit. cap. 4. contra Lutherum ejusque sequaces his
verbis

verbis : docet præterea , et si contritionem hanc aliquan-
 de charitate perfectam esse contingat hominemque Deo
 reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipia-
 tur &c. quam doctrinam quidam ratione particulæ :
 quandoque restringunt ad casum necessitatis, quando
 Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ recipi non
 potest, at tamen rejicitur hæc restrictio, & appo-
 nitur particula quandoque ad denotandum, quod
 non ordinariè sed rarò perveniat homo peccator ad
 illam contritionem, quæ sit charitate perfecta, cæ-
 terum si sit charitate perfecta, semper hominem Deo
 reconciliat, priusquam hoc Sacramentum actu sus-
 cipiat, ut tum ex textu Trid. tum ex propositio-
 ne 71. in Michaelæ Bajo damnatâ : *per contritionem
 etiam cum charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi
 Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extrâ
 casum necessitatis aut Martyrii sine actuali susceptione
 Sacramenti.* Videtur colligi,

Probat 1. authorit. S. Script. nam 2. Reg. 12.
 quamprimum David pœnitens dixit : *peccavi Domi-
 no, audivit peccatum sibi esse remissum, Dominus
 quoque transtulit peccatum tuum ; ergo pro eo instan-
 ti peccatum fuit remissum, alias dici debuisset, Do-
 minus transferet peccatum tuum : Isaïæ 30. v. 15.
 ubi habet vulgata versio si revertamini & quiescatis,
 salvi eritis versio 70. Interpretum legit : cum rever-
 sus ingemueris salvus eris, idem passim docent SS.
 Patres & omnes illi Theologi, qui quamlibet veram
 contritionem ad remissionem peccatorum extrâ Sa-
 cramentum sufficere docent.*

2. Perfecta contritio nunquam est sine charitate,
 charitas nunquam est sine remissione peccatorum &
 gratiæ infusione secundum id Prov. 8. *ego diligentes
 me diligo & 1. Joan. 4. qui manet in charitate, in Deo
 manet & Deus in eo Rom. 5. charitas Dei diffusa est*

in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Præter ea, quæ in priore Q. objecta & soluta sunt.

Obj. 1. Si contritio charitate perfecta justificet extrâ Sacramentum, ergo perfectè contritus non tenetur suscipere Sacramentum.

R. Negando conseq. quia ut dictum est suprâ ex textu Trid. Sess. 14. cap. 4. contritio non justificat, nisi ratione voti Sacramenti, quod includit, cum enim medium à Deo in lege nova ordinatum & simul præceptum pro remissione peccatorum post Baptismum commissorum sit Sacramentum pœnitentiæ, nequit esse vera contritio, nisi simul determinet voluntatem ad illud præceptum implendum, & medio à Christo instituto utendum.

Obj. 2. S. Aug. tract. 13. in Joan. asserit nulli quantumcunque disposito remitti peccata ante actualem receptionem Baptismi, quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis sua portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum & quod non loquatur S. P. de catechumenis per superbiam nolentibus recipere Baptismum, sed de omnibus, qui qualemcunque faciunt profectum in via salutis, patet ex illis, quæ subjungit: *quomodo non caruit populus Israel populo Aegyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum: sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi venerit* ergo videtur S. Aug. sentire, quod illi, qui potest suscipere Baptismum, nunquam remittatur peccatum, antequam Baptismum suscipiat, & cum eadem ad Sacramentum Pœnitentiæ detur præparatio, de Sacramento Pœnitentiæ idem dicendum erit.

R. Quod S. Aug. loquatur de eo, quod ordinariè contingit, raro enim pervenit catechumenus se
præpa-

præpa
Sacram
te pecc
Obj.
nem ne
tiorum
& N
cramen
fit pro
to pecc
tio po
Sacr
que
actu
pecca
tione

Q

SU

proc
pecc
lectio
cum e

Deum
ad iplur

Suppo

extrâ Sa

debeat p

peccata it

nova req
propter ob

ea formal
non requir
III. Par

præparans ad Baptismum & fidelis se præparans ad Sacramentum Pœnitentiæ ad contritionem charitate perfectam.

Obj. 3. Ante aliorum Sacramentorum receptionem non confertur gratia, ergo neque ante receptionem Pœnitentiæ.

R. Negando consequentiam: quia aliorum Sacramentorum partes non sunt ipsa dispositio, quæ sit proximè inferens gratiam, aliud est in Sacramento pœnitentiæ ut hic A. 5. O. deducit S. Th. *contritio potest dupliciter considerari, vel in quantum est pars Sacramenti, vel in quantum est actus virtutis, & utroque modo est causa remissionis peccati... in quantum est actus virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati, eò quod dispositio est quasi necessitas ad justificationem.*

QUÆSTIO IV.

Qualis dolor requiratur, ut contritio justificet?

Suppono 1. Quod extraordinariè non tantum expressus & formalis dolor ex motivo charitatis procedens, sed in casu invincibilis incogitantia de peccatis præteritis etiam dolor virtualis in actu dilectionis perfectæ Dei super omnia inclusus justificet, cum enim homo tali actu totaliter convertatur ad Deum, avertitur à peccato, & consequenter Deus ad ipsum convertitur, quod fit per infusionem gratiæ.

Suppono 2. Dolorem requisitum ad justificationem extrà Sacramentum debere esse universalem, cum debeat procedere ex motivo charitatis, cui omnia peccata mortalia opponuntur. Licet autem in lege nova requiratur distincta peccatorum recordatio propter obligationem ea confitendi, & præceptum ea formaliter retractandi & detestandi, attamen non requiritur distinctus & specialis dolor de pecca-

tis omnibus sigillatim, sed sufficit unicus dolor procedens ex motivo omnibus peccatis communi, hic autem quæritur: an ad dolorem requiratur certa gradualis intensio vel extensio aut duratio temporis, vel sufficiat, quod sit summus appetitativè.

DICO *quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet* S. Th. in suppl. Q. 5. A. 3, in O. sive ad dolorem in contritione, ut justificet, non requiritur certa intensio nec certa temporis duratio, sed requiritur & sufficit, quod sit summus appetitativè.

Prima pars probatur: quia in S. Scriptura promissa est justificationis gratia sine ullâ mentione gradualis intensiois, sed ex hoc solo, quod sit conversio ad Deum ex toto corde, sed dolor in quacunque intensione, modo sit appetitativè summus, est conversio in Deum ex toto corde, per hoc quod nihil in corde divinæ amicitiae repugnans admittatur, sed potissimum in corde nostro locum obtineat Deus ut patet ex S. Aug. lib. 1. de doctrinâ christianâ cap. 22. ubi de dilectione Dei: cum ait: toto corde tota anima tota mente, nullam vitam nostram partem relinquit, que vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re velit frui.

Deinde quod contritio perfecta sit detestatio peccati propter Deum summè dilectum, salvatur in quolibet minimo intensiois gradu; ergo perfecta contritio non requirit determinatam intensioem; ant. probatur: quod actui convenit ex natura rei, convenit ipsi in quocunque intensiois gradu, alias enim esset & non esset hic numero & specie actus; sed quod contritio perfecta sit detestatio peccati propter Deum super omnia dilectum, hoc ipsi convenit ex natura rei, ergo ipsi convenit in quocunque intensiois gradu.

Addit

Ad
termin
tio, qu
Secu
tenti
guntur
thius,
2. rat
sibiles
specie
mora
lis ex
suan
temp
stifica
poris
justifi
Te
ut ult
per c
Deum
efficac
debet
prio &
si luper
num cre
nem cha
patrem au
nus; sed
tiativè, er
appetitivè
quanta est
à peccato,
est contra est
Obj, S.

Adde: quod gratia justificationis non requirat determinatum intensiōnis gradum, ergo nec contritio, quæ est dispositio ad eandem.

Secunda pars patet 1. ex sacra Script. in qua Pœnitenti statim promittitur remissio peccatorum, & leguntur plures quasi instantaneè esse justificati ut Matthæus, Zachæus &c.

2. *ratio est*: quia actus supernaturales & indivisibiles, cum secundum totam suam essentiam & speciem possint elici in instanti, non dependent à mora temporis; sed contritio est actus supernaturalis ex natura sua indivisibilis; ergo secundum totam suam speciem & essentiam non dependet à mora temporis, & cum contritio ex se sit sufficiens ad justificationem dispositio independenter à mora temporis, homo per contritionem in instanti poterit justificari.

Tertia pars probatur: efficax conversio ad Deum ut ultimum finem debet esse summa appetitativè, sed per contritionem perfectam homo convertitur in Deum efficaciter, ergo, Maj. probatur: ut homo efficaciter convertatur in Deum ut ultimum finem, debet præponere bonum divinum omni bono proprio & creato, & consequenter malum Dei detestari super omne malum proprium: nam si ullum bonum creatum præponat bono divino, evertit ordinem charitatis dicente Christo Matth. 10. *qui amat patrem aut matrem, plus quam me, non est me dignus*; sed hoc est conversionem esse summam appetitativè, ergo efficax conversio in Deum est summa appetitativè & consequenter etiam contritio; nam quanta est conversio in Deum, tanta pariter est aversio à peccato, & quantus est amor boni divini tantum econtrà est odium mali oppositi.

Obj. S. Th. attribuit intensiōni charitatis & contritionis

tritionis ex charitate ortæ remissionem pœnæ, quia in suppl. Q. 5. A. 2. inquit : *contingit tantum intendi charitatem in actu, quod contritio inde sequens merebitur non solum culpæ amotionem sed etiam absolutionem ab omni pœna*, ergo etiam aliqua requiritur intensio contritionis ad remissionem culpæ.

R. Negando conseq. congruè enim Deus pro majore aut minore intensione charitatis & contritionis plus vel minus de temporali pœna remittit, quia illa pro oblectatione, quam peccator in creaturis habuit, infligitur, culpæ verò remissio, quam incurrit se à Deo avertendo, fit hoc ipso, quod perfectè & totaliter se in, Deum, ut est summum bonum in se & sibi convertat, & totaliter à creaturis avertat, quod fit per quemlibet perfectæ contritionis actum sive remissum, sive intensum. Et si requiratur gradualis intensio, quæ major sit, quam fuerit in actu quo homo peccavit, æqualiter dispositi non reciperent æqualem gratiam, quod est contra communem.

Q. 1. An dolor contritionis possit esse nimis intensus?

R. Dolor in voluntate non potest esse nimis, sicut nec oppositus amor boni divini, sed dolor partis sensitivæ, & in quantum infert indiscretam afflictionem exteriorem, potest esse nimis ex hoc, quod reddat hominem ineptum ad ea, quæ agenda homini incumbunt.

Q. 2. An ad dolorem requiratur comparatio instituta inter malum peccati & alia mala?

R. Explicitam comparationem non esse necessariam imò sæpè homini ad lapsum prono dissuadendam, quia sine illa potest haberi summa Dei super omnia appetitatio, sed implicita comparatio, inclusa in sincero proposito, quidquid occurreret divino bono oppositum, relinquendi, necessaria est, hoc enim ipsum est, dolorem esse appetitativè summum.

QUÆ.

CO

post Ba
dine ad
necessa
nent h

Sit

A

I

I

C

red

requ

secre

con

oblig

An o

C

peccat

tum, i

dicens :

soli Sacer

observav

mandato

thema sit.

Script. ex

quorum

esset, nisi